



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

152. An, & qualiter patronus præsentare debeat habilem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



dens seu cadens super eum juramentum, ut irrevocabilis fiat, juxta gl. & text. c. licet mulieres, de jure jurando, in 6. impeditque dictum juramentum, ut Barb. & Castrop. ne habens instituire auctoritate sua actum factum contra dictum juramentum approbare possit, ne sit perjuri cooperatus; & si celetur factum de super juramentum, actus tanquam dolosus & subreptivus reddatur invalidus; ad quod tamen postremum ait Castrop. ex nullo constare, quod propter relationem juramenti talis presentatio reddatur subreptitia; cum hæc non videatur qualitas necessarii exprimenda; uti nec quoddam ob antecedens juramentum reddatur invalida secunda presentatio; dum hæc, eo non obstante, ab Ordinario admittitur. Unde etiam ait Covar, Lopez, Martienz. &c. admittere non obstante juramento, validam esse secundam presentationem, si expressè vel tacitè eam approbaverit Ordinarius.

3. Porro illud hic observandum ex Card. de Luc. de jurep. d. 43. num. 10. quod, quoniam id, quod dictum est, juramentum reddere invalidam secundam presentationem, dispositum est in gratiam ejus, cujus favore adjectum est juramentum, ipso non curante vel relaxante, non videri, quid prohibeat, quod minus talis secunda presentatio sit valida, citatque pro hoc Rotam.

*Questio 150. Num etiam simplex promissio de non variando invalidet pari modo secundam presentationem?*

**R**espondent affirmativè Castrop. cit. num. 7. citatque Lap. allegat. 78. nu. 4. Gurtier. cit. n. 13. & Gregor. Lap. eò quod facta promissione cedat quis juri, quod habebat ad variandum.

*Questio 151. Num si quis retento patronatu cesserit juri presentandi, possit dicto modo variare?*

**R**espondeo affirmativè: Castrop. num. 10. eò quod dupliciter fieri possit hæc cessio retento patronatu. Primò: si quis potestatem presentandi alteri sine limitatione committat. Secundò: si tantum pro illo beneficio vacante quomodocunque quis cedat; utraque autem hæc cessio juris presentandi, retento patronatu, aliter fieri non potest, quam constituendo procuratorem; sed hunc revocare quis possit validè, etsi juraverit, se non revocaturum.

#### PARAGRAPHVS IV.

##### De personis presentandis.

*Quæres 152. in genere: An, & qualiter patronus presentare debeat habilem?*

**R**espondeo primò: tenetur presentare idoneum, hoc est habentem omnia requisita, tam quæ ex natura beneficii, quam quæ ex lege foundationis desiderantur. Lessl. l. 2. c. 34. n. 29. Card. Luc. de jurep. d. 64. num. 28. cum communi. Peccare etiam patronum mortaliter, qui indignum presentat, eò quod muneri suo non satisfaciatur, & Ecclesiæ creetur magnum incommodum; adeoque etiam teneri patronum inquirere in vitam & mores Clerici, antequam eum presentet, tradit Pirh. h. r. n. 45. ex Azor. quem citat p. 2. l. 6. c. 21. q. 4.

2. Respondeo secundò: requiritur, ut presentandus dignus & idoneus sit tempore presentationis. Pirh. loc. cit. citans Barb. in c. significavit. h. r. n. 8. Non tamen prohibitum est presentare inhabilem sub conditione habilitatis seu capacitatis, modò hæc intra juris terminum superveniat, ac verificetur; cum censeatur presentationem facere de hoc tempore, quo conditio purificatur, Card. Luc. in sum. juris. num. 109. (ubi tamen id limitat hoc modo: nisi agatur de præjudicio illius habilis, cui secutà vacatione jus quæsitum esset, quod per supervenientem alterius habilitatem tolli non debeat) & de jurep. d. 45. num. 7. atque ita presentari poterit inhabilis sub conditione impetrandi dispensationem super aliquo requisito à jure vel lege fundatoris, Corrad. l. 4. c. 6. num. 28. vide dicta supra de presentatione conditionata. Veruntamen melius faciet patronus differendo presentationem ad ultimum usque diem, vel horam termini à lege præfinitæ presentandum; atque ita expectando capacitatem personæ sibi placitæ, quæ ob superventam capacitatem possit validè presentari; cum non inveniatur in jure cautum, ut illi secutà vacatione teneatur presentare, vel nominare eum, qui tunc capax & habilis reperitur; nam licet in beneficiis Ecclesiasticis non detur illa suspensio, quæ datur in fideicommissis (de quo vide Card. Luc. tit. de fideicommissis d. 7. & 8.) id tamen intelligitur ultra terminum à jure præfinitum, ac pro magis diuturna vacatione, non autem ipso termino durante. Card. de Luc. de jurep. d. 45. num. 8. Licet autem hoc modo differre possit presentationem, & expectare capacitatem, ad hoc tamen non tenetur, nec cogi potest. Card. Luc. ibidem: Ex quibus sequi videtur, quod, dum patronus vi foundationis tenetur presentare alicum de certa familia, is autem non nisi ad finem termini dati ad presentandum sit capax, non teneatur patronus expectare, sed possit precipitare presentationem, & primo etiam mense à vacatione beneficii presentare alium capacem; etsi is non sit de familia. Porro in genere illos omnes incapaces esse ad hoc, ut presentari possint, qui incapaces sunt institui; & sic presentari non posse illegitimos, neophytos, servos, excommunicatos, irregulares, ait Castrop. loc. cit. p. 7. num. 1. circa quod revidenda, quæ dicta sunt de incapacibus eligi, aut aliter promoveri ad beneficia Ecclesiastica, quorum plura & hic locum habent.

*Questio 153. An, & quando, seu qualiter privetur patronus jure presentandi ob presentatum inhabilem?*

**R**espondeo: quotiescunque patronus scienter presentavit indignum, vel incapacem ad modum electionis factæ de indigno vel incapace non solum actus presentationis est, & remanet infectus, seu malus, sed etiam pro ea vice privatus est potestate presentandi; devolviturque collatio ad Superiorem. Card. Luc. in sum. juris. num. 109. cujus tamen contrarium de patrono laico tenet Pirh. supra citatus: ubi quando variare possit patronus. De cetero, præscindendo à dicta positiva scientia indignitatis, tenet Lessl. l. 2. de just. c. 34. num. 18. neque patronum laicum, neque Ecclesiasticum, dum presentantur indignum, pro ea vice privati potestate presentandi: Rationem dat, quod, licet in Aurbent. de sanctiss. Episc. dicatur: patrono presentante indignum, debere Episcopum procurare,